

21.

Tob. 2.

Multam persecutionem sustinuit Tobias à Rege Sennacherib, deinde hirundinum stercore cæcus factus. Ex quo: Sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius iridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas? Tob. 2. num. 15. quibus auditis: Tobias increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum sumus. Multisque rationibus eorum dicta refutabat. Tandem accessit coniugis verborum in illum contorsio. Ad hæc uxor eius irata respondit, manifestè vana facta est spes tua, & eleemosyna tua, modo apparuerunt; atque his, & alijs huiusmodi verbis exprobrabat ei. Quæ cum audisset. Immediatè. Tunc Tobias ingenuit, & cepit orare cum lacrymis, dicens: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, cap. 3. num. 1. Res digna multa ponderatione, arguunt Tobiam pietatem cognati, ac parentes, illisque sanctus senex se se opponit, eorumque dicta multis productis rationibus à se diuertit, ac reicit. At verò cum verba mulieris accedunt, non audet cum illis disputare, sed illorum vim metuens, omnino tacens, ac nihil respondens ad orationem confugit; sicut amicorum, ac cognatorum arguunt, ac astutiam rationibus diluit, cur etiam verbis mulieris non occurrat? adeo uxoris blandimenta, ac lenocinia timuit, quod ut victor euaderet, sibi persuasit, valde expediens se rem cum illa non ventilare, sed sermonem deuitare, & ad turissimam orationis arcem confugere, diuinum adiutorem in sui tutamen deprecans, vt fortissima uxor sua tela à se excuteret. Petrus Damianus ferm. 4. de S. Seuerio Martyre. Beatus Tobias, ait, postquam ad nimiam paupertatis arumnam, Deo disponente, deuenit, postquam oculorum lumen amisit, quia illum malignus spiritus vidit corporeo lumine non videntem, diuino autem splendore interius coruscantem, ad solita arma recurrit, & uxoris linguam ad inferendum vehementissima oburgationis opprobrium concitauit. Expende sequentia verba, Peruersa coniugi nihil ille respondit, sed iniectò sibi diabolica suggestio nis telo, mox ad orationis arma, Scriptura testante, cucurrit.

Necebra mulierum multum timenda.

Damian.

QVÆSTIO IV.

Quare Christus mandat odio habere animam?

22. August.

IVS Augustinus lib. 1. de ferm. Dom. c. 25. interpretatur animam hoc loco vitam significare. Vt sit sensus: Qui non odit animam suam, id est vitam suam, cum opus est eam martyrio dare, non potest meus esse discipulus.

23. Gregor.

Theophyl. Euthym. Beda. Bonau. Carthuf. Caietan.

Communis Patrum D. Gregorij, Theophylact. Euthym. Bedæ, D. Bonauent. Carthufian. Caietan. & aliorum interpretatio est, vt nosmetipsos non amemus plusquam Iesum, ac proinde vnusquisque debet abnegare, & detestari semetipsum, suum sensum, intellectum, voluntatem, appetitum, vitam, sanitatem, honorem, commoditatem, ac omnem nostram rem, si quando Christo Iesu, eiusque præceptis aduersantur, cum illisque consistere, ac conseruari nequeunt. D. Chrysofomus homil. 26. in Matth. Quos odio habemus, ait, neque videre, neque eorum vocem audire, æquo animo patimur. Ita & anima, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, reijcienda est, &c. D. Gregorius ho-

Chrysof.

mil. 37. in Euangel. Tunc etenim, ait, bene nostram animam odimus, cum eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quis enim contempta ad melius ducimus, quasi per odium amantur. Qui enim suas prauas cupiditates, ac appetitiones non comprimit, ac reprimat, & pellundat, Non potest meus esse discipulus, ait Christus. Dignus autem tali catalogo, qui proprijs voluptatibus, ac desiderijs non acquiescit, sed aduersatur.

Gregor.

Qui sua voluntate aduersatur, magis dignus.

24.

Rom. 5. Chrysof. Anselm. D. Thom. Terinas. Monoch.

Abraham appellatur ab Apostolo Paulo Roman. 4. num. 11. Pater omnium credentium, vt explicat D. Chrysofomus, D. Anselmus, D. Thomas, Terinus, Monochius, & alij, pater omnium credentium tam Iudæorum, quam Gentilium venientium ad fidem. In hac Apostoli assertionem videtur, quod aliquantulum antiquorum Patrum fides Adam, Abel, Henoc, & aliorum deprimatur, qui omnes per fidem ambulauerunt, sine qua nullus est assecutus salutem. Vt ipsemet Paulus explicat ad Hebr. 11. Deinde cur potius Abrahamus dicitur pater credentium, quam Noë? Nam si Abrahamus credit Dei verbo, quando ei mandauit exire de terra sua, ac cognatione sua, de parentibus ac amicis suis, Genes. 12. num. 1. Et si Abraham nil dubitauit, nec hæsitauit, quando Deus ei præcepit filium suum Isaac sacrificare; sic etiam nec Noë nihil hæsitauit, ac dubitauit, quando Deus ei iussit arcam fabricare, multa hominum contradictione, ac inrisione, vt ibi latè discurrit D. Chrysofomus. Cum ergo Noë sit antiquior, cur non ipse, sed Abrahamus pater credentium nuncupatur? Noë credidit id, quod vehementer voluntas appetebat, ipsum saluum ab aquis diluuij præseruandum esse; Abraham verò credidit, & non reluctauit in his, quæ grauitè voluntati eius aduersabantur: voluntas enim magnopere filij vitam appetebat. Fides ergo Abrahamæ, quæ eius desideria perfecit, illiusque affectus perfundat valde dignissima, vt ex ipse omnium credentium pater constituatur, ac nominetur. Vnde fidem Abrahami pretiosam appellat D. Ambrosius citato Rom. loco: Pretiosa fides, quæ contra id, quod scit, aut videt, credit. Ei quid magis illustre, quam proprios voluntatis affectus renuntiare, ac rescindere.

Hebr. 11.

Genes. 12.

Chrysof.

Qui sua voluntate perfecat, valde extollendum.

Ambros.

25.

Matth. 26.

Tripliciter orauit Christus in Horto. Pater mihi si possibile est, transseat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu, Matth. 26. num. 39. Tunc apparuit illi Angelus de celo confortans eum. Tripliciter etiam orauit Christus in cruce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et iterum: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Et tandem: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. 27. num. 46. Vbi Christus vt etiam interpretantur Barradas, Cornelius à Lapide. Blanda conuestione rogat Patrem Dominus, cur eum dereliquerit, hoc est cur nullam consolationem præbuerit tot cruciatibus ferenti. Ita Barradas. Cur in Horto venit Angelus confortans, & non in cruce, cum tamen ibi agoniz, mætores, & cruciatu multo maiores essent? Christus in cruce reiecit regnum, sic enim à multis explicatur, quod cum titulus poneretur, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, inclinato capite misit spiritum. Ac si regnum illud à se remoueret; in hortu verò dimittebat à se propriam voluntatem. Non sicut ego volo. Tam arduum est propriam voluntatem, ac proprium velle, non sicut ego volo, deponere, tantoque magis propriam voluntatem deponere, quam totum amplissimum

Valde arduum, quod homo sum velle subiciat alteri.

Beda.

plissimum regnum, vt etiam Deus factus homo, cum voluntatem dimittit, ac subiicit, expediens est, vt Pater Angelum confortantem eum, ei destinet. Non quia, vt ait Beda, creator creatura sue eguit præsidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur. Vt videamus quantum difficile, quantumque Dei donum sit proprium velle renuntiare, ac alteri submittere.

Luc. 14. n. 27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

VERSIONES.

Luc. Burgens. Et quicumque non portat. ex Græc.

Vatablu. Quisquis non baiulat crucem suam, & subsequitur me.

Syriacus. Discipulus mihi non potest esse.

EXPOSITIO II.

26. Chrysof.

Macharius.

Beda. Gregor. Theophyl. Euthym. Bonauent.

Carthuf. Ad Deigloriam dirigantur opera



T qui. Seu quicumque non baiulat, seu portat, crucem suam. D. Chrysofom. ait, non mandat Dominus lignum humeris baiulare; nec etiam, vt D. Macharius in Catena Græca, debet quis se ipsum à ligno suspendere, si que Dominum sequi; sed quis, crucifigere se ipsum à rebus mundanis, & illa non attingere. Crux, vt ait Beda, dicitur à cruciati. Ille ergo portat crucem, vt docent D. Gregor. Beda, Theophyl. Euthym. D. Bonau. Qui suos affectus, ac voluntates crucifigit, æquoque animo paratus est pro Christo cruciatus, dolores, labores ac omnes ignominias, etiam vsque ad mortem sustinere; qui etiam olim crucem ferebant, morte, ac dedecore afficiebantur. Et venit post me. Seu vt habet D. Matthæus, sequitur me. Explicat Carthufian. exercendo talia bona opera non vana intentione pro laude humana, sed ad laudem, & gratiam Dei, ac ædificationem proximi. De his vide multa, quæ dixi supra cap. 7. à quæst. 1. Rectè enim qui crucis pondus non portat, ab illius gloria, & honore excluditur. Deinde quia, vt ait D. Gregor. Nisi quis à se ipso deficiat, ad eum, qui semper est, non appropinquat: nec valet apprehendere, quod supra ipsum est, nisi nesciat mactare, quod est, Occidat homo, quod in se habet suos scilicet appetitus, vt perueniat ad id, quod supra ipsum est, vt Christum sequatur, eique adhaereat.

QVÆSTIO V.

Quare Christus non assignat aliquod præmium, vt homines crucem baiulent, eumque sequantur?

27.

Iustinian.

ROVOCANDI erant homines, vt venirent, ac sequerentur Christum amore, & eius exemplo. D. Laurent. Iustin. Non armis carnalibus, ait, sed facilius amoris inflammis tuorum

mentes fidelium ad currendam viam mandatorum tuorum; atque ad capefcendam perfectionem conuulorum tuorum. Quis verò auderet terrenam relinquere, temporalia oblectamenta spernere, carnem assidua maceratione edomare, & crucem suam (sicut mandauit) quotidie baiulare post te, si tui non traheretur amore? Intruetur quippe fidelis, deuotus homo, his grauiora te sustinuisse pro se, & hac contemplatione edoctus, hoc amoris fulgore irradiatus, se totum exponit pro te; indignum arbitrans fore, vt floreat in seculo seruus, Domino crucifixo. Non est seruus supra Dominum suum, nec melior ipso; alienum est enim ab omni ratione, vt floreat in seculo seruus, Domino crucifixo. Ergo cum Dominus sit crucifixus, crucifigatur & seruus, vt Dominum suum sequatur, eisque in omnibus confitetur.

Amore, & exemplo veniunt ad Christum.

Secundò. D. Ambros. lib. 1. de Iacob. cap. 7. Habet ergo in se remunerationem suam, qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmium, etiam si dura sustineat; beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis. Ipsum Christum sequi magna merces, magnumque præmium in se habet, & quid excellentius, quam bonis moribus floreat, ipsique imitando adhærere? Ait Paulus ad Philipp. 1. num. 29. Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Magnam gratiam, magnumque fauorem dicit à Deo datum, & in Christum credere, & pro eo pati; pati, crucifigi, & ignominiose mori gratia à Deo facta est, tanta suauitate, ac dulcedine spirituali, tantaque sanctitate, ac probitate consistit mors pro Christo, vt ipsa sibi magnum præmium sit. D. Anselm. ibi. Vobis, ait, donatum est quasi præmium pro Christo, quem diligitis, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Deinde pondera, quod Apostolus duo dona dicit data credere, & pati, in his tamen donis explicans magis Dei magnificentiam; pati ponit secundo loco, tanquam maximum donum, quod non est commune multis, sed valde prælectis, ac singularibus à Deo concessum. D. Ambros. ibidem. Quamquam, ait, Dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum proficit, quod dicit, quia Deus illis concessit pati pro Christo. A patre Deo donatum est diligentiibus Christum, vt ad augmentum meritorum suorum patiantur pro Christo.

28. Ambros.

Philipp. 1.

Anselm.

Ambros. Sequi Christum magnum præmium.

Tertiò. Ait Christus. Qui non baiulat crucem suam, & venit post me. Quare ad Christi sequendam mandatur crux asportari? Vt vnusquisque in cruce semetipsum, ac omnia mundalia suspendat, vt illis omnibus despectis, solum oculos fixos habeat in Iesu, quem tantummodo intueatur, & consideret, cum in ipso bona habeantur. D. Ambros. lib. 2. de figu. sæculi cap. 2. Venit plenitudo, ait, reliqua cessabunt, Christus enim omnes vocat. Omnibus pater, vt omnes sequantur, omnibus regnum propositum, est vita æterna. Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere.

19.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Istraël. Cantic. 3. num. 7. cur simpliciter tantum dicitur lectulum, nullo habito sermone de eius materia, ornatu, ac elegancia? Cùm tamen ibidem multa de eius ferculo scribantur, num. 9. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit. Sic & scriptura multa de throno Salomonis narrat. 3. Reg. cap. 10. num. 18. Factum dicit de ebore, vestitum auto fuluo nimis, eum duobus leonibus, & duodecim leuulicis. At verò in le-

30. Cantic. 4.

3. Re. 10.

Stulo omnis venustas, ac apparatus subtrahitur, ut potentia, ac maiestati inferuiant, illiusque celsitudinem cunctis exprimant. At verò lectulus locus est assignatus, in quo anima sancta, alta & profunda meditatione, ac complatione cum Christo loquitur, cuiusque presentia fruatur; quam enim pia anima obtinet, sic ceterorum omnium obliuiscitur, ut nullam de illis habeat recordationem, vno solo Iesu contenta, in quo omnia bona sibi possessa habet Gellib. Abbas serm. 16. in Cantic. alibi alia consideratione datus. *Quid tamen est, ait, quod de ipso lectuli nobis apparatu nil dicit? Et thronum Salomonis, & ferculum: sed utrumque ambitioso structum apparatu, & sicut regias decet delicias. Numquid lectulum intelligimus neglectum? Absit: sed sufficiebat, ut lectulum diceret qui sponsa loquebatur. Illa enim nihil in lectulo diligit, nisi quod lectulus est; & quod in eo copia sit summi amplectendi Salomonem.*

Ex quo eleganter vocem illam Iacob: *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus uiuit*, Genes. 45. num. 28. ad Christum Iesum transfert Gericas Abbas serm. 1. de Resurrect. Christi. *O vocem fidelem, ait, & plane dignam amicis Iesus; sufficit mihi, si Iesus uiuit. Quid mihi deesse poterit, si Iesus uiuit? Imò desunt omnia alia, nihil interest mea; dummodo Iesus uiuat. Cum sic amor Christi totum absorberit effectum hominis, & immemor sui, non nisi Iesum Christum, & ea, quae sunt Iesu Christi, sentiat. Huic utique, qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum depuit, imò nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat.*

Luc. 14. n. 28. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.

Num. 29. Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei.

Num. 30. Dicentes: quia hic homo cepit aedificare, & non potuit consummare?

VERSIONES.

- Euthymius.** Quis est ex vobis.
- Monoch. ex Grac.** Calculis rationem subducit.
- Syriacus.** Computet sumptus suos, an habeat unde perficiat eam.
- Vatabl. Pagn.** Num habeat, quibus opus est ad consummationem.
- Arias Mont. num. 29.** Ponente ipso fundamenta, & non potente.
- Arabicus.** Aspicientes incipiant illudere.
- D. August.** Omnes, qui transeunt, &

Epistol. 38. vident, incipiant dicere Hic homo cepit aedificare, & non potuit perficere.

EXPOSITIO III.



VIS ex vobis. Duobus exemplis Christus Dominus declarat non esse rem facilem fieri discipulum eius, sed esse rem multum considerandam, & ponderandam. *Quis ex vobis.* Per hoc verbum paucitas eorum, qui spirituale fabricantur aedificium; ad turrim mundi, quae Babelis construendam conueniunt filij Adam. Genes. 11. num. 2. Ad turrim verò in caelum. *Quis est ex vobis,* tanquam quid valde singulare, & rarum. *Volens turrim aedificare.* Idest domum amplam, ac magnificam cum turri extractam *Sedens.* Prae orio matura, ac diligenti consideratione cuncta ponderans, ut docent Beda, Haymon, Carthusian. Hugo, & alij. *Computat.* Rectè D. Bonauent. Computare est prauidere per sollicitam diligentiam. *Glossa.* Omne, quod agimus praenire per iudicium considerationis debemus. *Oculi tui recta videant, & palpebra tua praecedant gressus tuos.* Prouerb. 4. num. 25. *Sumptus.* Seu summam pecuniarum, qui necessarij sunt. *Quo magis explicatur diligens consideratio, ac prouidentia, ut non temere aedificationem aggrediatur, sed antequam manus admoueat ad, opus prius metiatur vires, ac facultates suas, an tanto operi sufficiant. Ad perficiendum.* Ad omnia illa praestanda, quae ad absolutam rei confirmationem requiruntur, ita ut nihil desit, parui est enim animi rem semiplenam, ac inceptam relinquere.

Ne postquam posuerit fundamentum, Cum iam aedificium sit inchoatum, tamen ob impares facultates, illud homo non potest absoluere, illique consummationem imponere, tunc omnes, qui vident, irridebunt eum, fietque cunctis ridiculus homo, quia cepit aedificare, & non potuit consummare, pecunia impensa deperdita. Valde turpe est ab incepto desistere, & rem semiplenam relinquere. Vide c. 8. quæst. 21. num. 175. & tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 22. num. 68. & tom. 3. cap. 25. q. 5. n. 31. & cap. 26. q. 12. n. 71. 72.

QUESTIO VI.

Quomodo duæ sequentes parabola turris aedificandæ, & belli ineundi conueniant cum superiori Christi doctrina?

IMMEDIATE antea dixerat Dominus affectum, ac amorem parentum, & cognatorum esse abiiciendum, & amputandum, omnemque mortificationem, & arumnam, ac laborem baiulatione crucis esse amplectendam, ut quis discipulus eius sit, & tunc immediate connectit parabolam de bello capefendo, ac de turri fabricanda, & iterum rem claudit repetens, ut notat D. Augustin. Epistol. 38. *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.*

Docet Dominus, arduam, ac altam discipuli perfectionem non esse temere suscipiendam, sed magna, & profunda consideratione, ac proinde antequam

Statu perfectionis multa consideratio sumenda.

antequam quis ad sublimem vitam Evangelicæ perfectionis turrim conscendat, bellumque aduersus mundum, carnem, ac dæmonem aggrediatur; prius multa prudentia debet explorare, an valeat terrenis omnibus renuntiatis, assumpta mortificatione perpetuò Christi discipuli vitam agere, debetque multum considerare, an impulsus ad hanc Evangelicam perfectionem, sit ex leuitate aliqua, an ex inspiratione Diuini Spiritus promittentis vires gratiae sufficientes, quam magnis precibus exposcat, ne postea tanto muneri impar, oneri succumbens resiliat, habeatque damnum perditorum sumptuum, ignomiamque sibi comparat inconsiderate aedificij inchoati, & belli, quod absoluere non valuit, melius est enim omni suscipere, quam susceptum, humerisque impositum turpiter abicere. Tolabiliusque est non incipere, quam ab eo quod cepis deficere. D. Petrus Epistol. 2. cap. 2. num. 21. *Melius erat illis, ait, non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrosum conuerti ab eo eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Ita communiter Interpretes. Carthusian. Caietan. Iansen. Maldonat. Barradas, Lucas Burgen. Cornel. & alij.

Pat. 2.

Carthuf. Caietan. Iansen. Maldonat. Barrad.

36. Glossa.

Bonau. In perfectione paulatim euadum.

Hugo.

B. da.

37.

Qui non perferat irridetur tanquam stultus. Bernard.

Galar. 3.

Chrysof.

D. Thom.

Daniel. 2.

Moraliter turris hæc, ait Glossa. Est humilitas, quæ bene turri comparatur, quanto quis humilior, tanto altior, quanto minor in oculis suis, tanto maior in oculis Dei. Pulchre D. Bonauent. *Per turrim, ait, quæ est aedificium altissimum, possumus intelligere cumulum perfectionis meritorum, quæ gradatim ascendit ab imo usque ad summum, incipiens a fundamento timoris, & perueniens usque ad culmen sapientie Deiformis.* Parietes huius aedificij, ait Hugo, sunt spes, & timor. Tectum verò charitas, sumptus autem huius aedificij, ipse Dominus dignatus est declarare, sunt renuntiare omnibus, quæ homo possidet. Eleganter Beda. *Hoc inter terrenum, ait, & caeleste aedificium distat, quod terrenum aedificium expensas colligendo constructur, caeleste autem aedificium expensas dispergendo. Ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus: ad istud sumptus facimus, si habita relinquamus.*

Hoc aedificium vitæ spiritualis antequam quis incipiat, admonet Christus, quod quilibet considerando debet praesentire animum, ac robur suum, an valeat perficere, ne si inchoatum relinquat tanquam insipiens, & stultus irrideatur ab omnibus, quia cepit aedificare, & non valuit consummare. Nam, ut ait D. Bernard. Epistol. 78. *Cæpisse nil proderit, ait, si, quod absit, non perseverare contigerit.* Arguens D. Paulus Galatas. *Ait sic: stultus estis, ut cum spiritu caperitis, nunc carne consummaminis.* Galat. 3. num. 3. Merito in eos inuehitur, quod cum haberent exordia spiritualia, ac perfecta, ea carnalibus, ac mundanis operibus concluderunt; sed cur non eos peruersos, iniquos, deficientes in bono appellat, sed tantum stultos? Summa stultitia, ac demencia est, à via sancta, ac spirituali, quam feliciter quis tenuerat, ut salutem assequeretur; in carnalem, in qua miserabiliter percat, exerrare. D. Chrysof. *Opportune conuicium addidit, ait, cum inquit, oportuerit vos temporis progressu, prioribus bonis accessum adiungere, non solum profectis, verum denno ad reliqua estis retroacti.* Cuius rei rationem assignat ad eundem locum Pauli. D. Thomas. *Via perfectionis, ait, ab imperfecto tendere ad perfectum. Vos autem, quia è conuerso facitis, stultus estis.* Hos Angelicus Doctor, ait eodem loco esse similes statuae Nabuchodonosoris. Daniel. 2. num. 32.

Quæ quidem habebat caput aureum; sed per intermedia membra sensim degenerans, tandem in pedes luteos desinebat. Quid infelicis eo, qui prima virtutis tyrocinia aurea collocauit, sed in luteos pedes miserabiliter desuit? 1. Vide verb. *Perseuerentia* hoc tom. & 1. 2. ac 3.

Secundò, D. Augustin. Epistol. 38. Postquam late difficultatem proponit, docuerat Dominus omnibus terrenis valedicendum. Tunc has duas similitudines adducit; ait Sanctus Doctor. *Sumptus ad turrim aedificandam, & bellantium valentia decem milium aduersus Regem, qui viginti habet, nihil aliud est, quam ut renuntiet unusquisque omnibus, quæ sunt eius. In eo enim, quod unusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt eius, etiam illud continetur, ut odere patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, ad huc & animam suam. Omnia enim hæc propria sunt eius, quæ plerumque implicat, & impediunt ad obtinendam, non ista temporaliter transiura, sed in æternum mansuram.* His parabolis nobis explicat Dominus dignitatem, maiestatem, ac potentiam illius, qui terrenis renuntiat, cognatorum amorem à se abdicat, ac abiicit, ab ipsa horum abiectioe in potentissimi regis personam assurgit, ut regiam arcem erigat, ad quam nequissimi hostis ignea tela nequeant peruenire, & quacumque militum classe aduersarij conueniant, semper inferiori, ac impari exercitu instant, ut munitionem potentissimi regis valeant expugnare; Ecce qui ab affectu terrenorum truncatur, tantum diuini donis armatur, ut regiam, copiasque militum instruat, quibus victor, ac gloriose triumphator constituatur eorum, quæ plerumque implicat, & impediunt ad obtinendam, non ista temporaliter transiura, sed in æternum mansuram.

Multa maiestate videt Ioannes Christum Dominum de inimicis suis triumphantem. *Et habebat in vestimento, & in scemore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Apocal. 19. n. 16. Multam admirationem iniicit non tantum sublimitas inscriptionis, quam illius locus, valde enim nouum, & insolitum est, ut regni tituli in scemore scribantur, in superiori frontis parte collocantur, hinc à Pilato titulus inscribitur in crucis vertice. Cur ergo Christus Dominus literas indicantes suam augustam maiestatem non in diademate, sed in scemore maluit scribi? In scemore illius gladius vaticinatus est à Regio Propheta. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Psalm. 44. num. 5. Mysterium quod inchoatum est ostendi in Psalmo perficitur, ac expletur ostensa visione in Apocal. Vbi gladius in scemore scilicet, ibi & regalis potestatis, ac dominij nota; Gladius ille, inquam, quia Christus Dominus missus est in terram ad anspatandam omnem consanguinitatis cognationem, omnemque terrenorum affectum, de quo ipse ait. *Nolite arbitrari, quia pacem uenerim mittere in terram, non ueni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam.* Matth. 10. num. 34. Gladius ad reseccandam omnem temporalem propensionem in scemore appenditur, & in quo etiam regis, ac Domini insculptura exaratur. *Habebat in vestimento, & in scemore scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Cum quis à semet ipso amorem sæculi abdicat, ibi & in se amplam regiam potestatem creat, per excellentemque dominium comparat ad omnes aduersarios prosterendos.

38. August.

Qui mundo renuntiat, regiam aedificat, & hostes expugnat.

39.

Apocal. 19.

Psal. 44.

Qui à se abiicit terrenum amorem rex constituitur.

Matth. 10.